



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XXI. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Daniel Abbas pro Eulogio Latomo ad maiores opes evehendo apud Deum intercessor, cum eum obtentis opibus sceleratum experitur, redit ad preces, utq; ad pauperem fortunam Eulogius redeat, Deiparam orat, adest hæc, & precibus, sed eâ lege annuit, ut divinæ dispositioni non ampliùs modum præscribat. *Fasti Mar.* Tanta est divitiarum cum vitiis affinitas.

S. Daniel ora pro me DEUM ac Deiparam, ut statu meo contentus, & ita Divinæ voluntati conformiter vivam, ut statûs, sive divinæ circa me prædestinationis seriem non interrumpam, sed quâ me Deus ad cœlum ducere vult viâ, plana illa sit, seu aspera, promptus sequar. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium &c. f. 190.

Ad quod impetrandum orabo Deiparam, ut perfectam meam cum divina voluntatis conformitatem, mihi tribuat.

Quidquid misericordiæ Filius exhibuit, totum hoc nobis Mater contulit, quæ Filium genuit, in quo nobis omnia donavit. *Beat. Alb. M. sup. mis. est.*

a Quæstio: Pauperiores an ditiores faciliorem viam & modum habent placandi Deiparam?